

dæus, essentne hi quatuor è duodecim ejus filiis, qui in ara visebantur; annuit Pater, arbitratus eum de duodecim Apostolis loqui, alter enim de altero, id quod non erat, sentiebat. Inde hominem in cubiculum seductum interrogare cœpit accuratius, quis esset, & paulatim intelligere cœpit antiquæ legis esse professorem. Ipse porro Iudæi nomen ignorabat, sed se tamen Israëlitam esse fatebatur. Unde conjicere licet decem tribuum dispersionem in Orientis extremos fines penetrasse. Regia deinde Biblia Plantinianis typis excusa vidit, & ut aperuit, Hebræos characteres agnovit, tametsi eos legere non poterat.

Ex hoc audierunt nostri, in ea quam dixi metropoli decem duodecimve Israëlitarum esse familias, & Synagogam perelegantem, quam nuper decem aureorum milibus instaurarant, In ea se quinque